



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LVI. Sebastianvs Elector XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Hunc lugubria tectus ora velo,
 Albis, Rhenus, Havelus, hunc peremptum,
 Fontis Pegasei cohors, & omnis
 Est respublica profecuta fletu.

Mortuus est Elector Albertus an. 1545. sedit an. 31. sub Pontificibus Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. Paulo III.

LVI. SEBASTIANVS ELECTOR XL.

Sebastianum nobilis Heusenstammiorum gens in Hassia edidit in lucem, cui nato splendorem insignem addiderunt Doctoris insignia è Pontificio simul & Cæsareo Jure collata, & eo tempore inter nobiles pretiosa. Decus tertium exornavit priora maximè, quod Elector hic à virtutibus multis, præsertim verò ab avita in religione constantia sibi hausit, & tanquam scuto adversus quasvis bellorum tempestates firmissimo sese defendit, post extinctum Cardinalem Albertum in Comitibus Imperij suam testatus constantiam, periculo solis hostibus tunc formidando. Certè si ullus Germanorum Electorum, aut aliorum Virorum Principum post initum foedus Schmalkadicum succurrit periclitanti Cæsari Carolo V. is fuit Sebastianus, qui Buranum Comitem Maximilianum ex Belgio per Moguntia ditiones in Germaniam copias Cæsari adducentem strenuè adjuvit, & majori victoria sua minori prælusit, ubi nimirum Christophorus Oldeburgicus, & Rifebergus Protestantium, uti appellantur, Duces propè Moguntiam fusi fugatique sunt. Conventibus dein pluribus Augusta Vindelicorum & alibi celebratis interfuit constanter Elector, qui quemadmodum loco & dignitate, ita etiam industriâ, sapientiâ & zelo eminuit, & Concilium Tridentinum de rebus cunctis scitu necessariis ac utilibus edocuit. Nec interea destitit indicere Synodos Diocesanas & Provinciales, in quibus & Episcopos, & horum Sacerdotes subditos singulari eloquentia, ardore & animarum zelo fuit adhortatus ad munus suum strenuè

obeundum. Atque ut absque longiori mora quisque data sequeretur monita, injunctaque observaret præcepta, exemplo in rebus omnibus præluxit, nunc iter difficile ac periculosum in sese suscipiendo, nunc Suffraganeos suos, nunc Oratores sacros aut Legatos mittendo, ut succurreret eminus atque cominus: peragratis nempe pluribus Germaniæ provinciis tandem an. 1551. mense Septembri cum Archiepiscopo Trevirensi Tridentum petiit, magna susceptus omnium Patrum lætitiâ & gratulatione, quod spem conciperent, fore ut tantis à Germaniæ Præsulibus & Viris Principibus intellecturi essent consilia & sententias restituendæ Germanicæ Ecclesiæ falluberrimas. Sed dum Sebastianus cum Electoribus Trevirensi & Coloniensi, qui brevè secutus jam advenerat, Tridenti Concilio solertissimam dant operam, interea hostes in ditiones maximè Moguntinas grassati mense Martio an. 1552. Archipræsulem Moguntinum ad propria redire compulerunt. Albertus præcipuè Brandeburgicus Elector in Moguntia ruinam intentus, nec ulla vi repelli, nec auro copiosissimo potuit satiari: unde Elector suam Moguntiam relinquere coactus, Argentoratum ascendit; sed inde etiam fugatus in Brisgoiam pervenit per sylvam Hercyniam & Sueviam ad Cæsarem profectus Augustam, tandem absoluto admodum difficili viæ circulo Moguntiam rediit, obortis lacrymis inter cineres suas ditiones contemplanis, & latentibus sub ruina multorum subditorum cadaveribus parentans. Dedit tamen etiam Deo more seditiosorum Ducum multorum pœnas justissimas Albertus: à Mauritio enim Electore Saxonie relictus, & mox superatus, à Sebastiano Archipræsule aliisque Heilbrunnæ Viris Principibus banno Imperij subjectus, pauloque post à Cæsare ipse proscribitus, in Galliam aëffugit. Elector verò Sebastianus curis & laboribus fractus, idum an. 1555. ad Comitia Augustæ rursum celebranda est evocatus, mortis accepit nuntium post annum Sedis 11. acceptissimus Paulo III. & Julio II, Romanis Pontificibus.